



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

101. An Episcopus possit excommunicare subditum existentem in alieno territorio, quando censura est annexa præcepto sive generali, sive speciali? Et an si censura lata sit per modum sententiæ sive ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. CI.

An Episcopus possit excommunicare subditum existentem in alieno territorio, quando censura est annexa precepto sive generali, sive speciali?
Et an si censura lata sit per modum sententiae sive particularis, sive generalis, liget proprios subditos extra proprium territorium peccantes?
Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio territorio, & Episcopus, Ex part. 5. tract. 9. Resol. 32.

§. 1. **A**ffirmative respondet Suarez, *disp. 5. de cens. sup. hunc* & censura ei annexa non tam respiciunt territorium seu locum jurisdictionis; sed personam subditam; ergo obligat subditos, & censura ei annexa eos afficit ubique.

2. Verum ex Henriquez & Coninch Hurtados, *de cens. in commun. diff. 8. n. 34.* contrarium docet quia jurisdictionis Episcopi non extenditur ultra summa territorium, ut satis significat Pontifex in *d. cap. 2.* dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantis fures; ait, quia extra territorium jus dicenti non pareat impune; ubi per *jus dicere* non intelligit ferre statutum, seu legem, quia ferre idem esset, non potest ferre statutum, quia non potest illud ferre, sed idem est ac vti jurisdictione, ac proinde Episcopus tantum habet jurisdictionem in personis ratione territorii, quando in eo habent domicilium, aut quasi domicilium. Vnde vtramque sententiam probabilem esse existimo cum Prapoli. in *3. part. q. 1. de cens. in commun. dub. 5. n. 31.* vide etiam Avilam *part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1.* & me ipsum in *3. part. tr. 5. res. 21 & tr. 6. res. 78.*

3. Notandum est tamen hic primo, si censura lata sit per modum sententiae sive particularis, sive generalis, ligat proprios subditos, etiam extra proprium territorium peccantes, probatur quia censura lata per modum sententiae pro futuris culpis abstrahit à territorio, & solum respicit ipsas subditorum personas, ergo ubicumque existant, eas ligat: nec obstat diversitas territorii, cum ut hæc censura incuratur, nulla exterior vis necessaria sit, ut dictum est. Vnde si non propter bonum territorii directe, sed propter bonum morum ipsius subditi, vel aliarum personarum Episcopus præcipiat sub censura alicui particulari subdito, aut omnibus generaliter ut jejunent, v. g. sexta feria, aut ab exercitio alicuius operis abstinant, revera censura incurrit, quamvis extra territorium delinquant & in hoc differunt censura lata à jure & ab homine: secus autem dicendum est si excommunicatio feratur pro culpa jam commissâ, nam doctrina superius adducta intelligitur de censura lata pro culpis futuris evitandis.

4. Nota secundo, posse Episcopum ferre censuram in subditum existentem in alieno territorio pro crimine, quod in proprio territorio commisit, Ita Sotus *de iur. loco citato*, & omnes communiter. Probatur tum ex usu, tum etiam, quia alias Ecclesiastica Episcoporum potestas facile contemneretur, & esset in cuiusvis potestate se ab eorum jurisdictione eximere, quantum ad delictorum punitionem, & se immediate subicere soli Papæ, quod probatur, quia ille, qui Salmantice furtum commisit, & statim ad Pinciam confugit, non potest excommunicari ab Episcopo Pincie, cuius subditus non est, nec ab Episcopo Salmantice ubi peccavit, quia jam extra territorium ejus est, ergo nullibi potest pro tali delicto puniri Ecclesiastica censura, nisi tantum à solo Papæ.

§. Nota

io post ini-
dum, & in
ref. 97. per
toram, &
signanter,
§. 1. ad me-
dum, &
dyb. 6. num. 68.

§. 1. Notandum est tamen, quod omnia supradicta procedunt quando delictum subditi perpetratur extra diocesim; secus autem si illud commiserit in diocesi, nam in tali casu potest Episcopus illum excommunicare, etiam si extra diocesim commoretur. Non reticeam tamen, attende Lector, contrariam sententiam docere Basilium Pontium, *de matr. lib. 5. c. 7. §. 2. num. 20.* ubi sic ait: Ex eodem principio colligo contra nonnullos, Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum, existentem tamen in alio territorio: id quod etiam docuit Gabriel in *4. diff. 18. quest. 2. concl. 2.* Ita Pontius, qui tamen putat pro delicto extra territorium commissio, si ad suam diocesim redeat posse Episcopum subditum punire.

RESOL. C.

An delinquentes extra territorium possint ligari lege, & statuto?
Et quæ differentia inveniat inter excommunicationem latam per sententiam, & per modum statuti?
Et an quis contrahat censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in suo territorio occideret existentem in alieno, vel si decessit in territorio virginem, & extraxit à territorio, & in alieno violavit, Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 78.

§. 1. **N**egativam sententiam alibi docui, & communiter docent Doctores *ex c. ut animarum, de cens. in 6.* verum in gratiam curiosorum non desinam hic apponere sententiam affirmativam Ferdinandi de Castro Palao, in *opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24 §. 5. n. 21.* ubi ex pluribus rationibus probat esse satis probabile, posse ligari lege, & statuto delinquentes in alieno territorio, atque adeo posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohiberi subditis, ubicumque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitionem dignam lege illum, & non pigebit: vide etiam Salas, *de legibus, disp. 14. sect. 7. n. 90.* & Basilium Pontium, *de matr. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 19.* ubi asserit se nullam differentiam invenire in excommunicatione lata per sententiam, vel per modum statuti, sed delinquentes extra territorium per sententiam, & generale præceptum subduntur, verbi gratia, excommunicationibus, ut tradit Suarez, in *3. part. tom. 5. disp. 5. sect. 5.* Bonacina, *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. num. 11.* & alij, communiter. Ergo subduntur etiam per legem, & statutum, ceteras rationes videbis apud Castum, *loco citato*.

2. Notandum est tamen hic obiter, te non contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in tuo territorio, occideres existentem in alieno, vel si decessisti in territorio virginem & extraxisti à territorio & in alieno violasti, quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob ejus consummationem, at consummatio est extra territorium; ergo, &c. Et ita contra Vgolinum, *de cens. tab. 1. cap. 9. §. 3. in fine*, docet Suarez, *de cens. tom. 5. disputat. 5. sect. 4. num. 8. & 9.* & de legibus, *lib. 3. cap. 32. num. 5.* & 6. Salas *de legibus disput. 14. sect. 5. num. 71.* & alij.

Sup. hoc in
Ref. præte-
rita §. Sed
& in ref. seq.
§. Notandū
est & in ref.
1. post seq.
§. 1. ad me-
dum.

Sup. hoc in
in ref. 102.
§. Sed obi-
ter & late in
ref. 103.

5. Nota tertio subditum existentem in alieno Episcopatu, posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, ut si habens curam animarum non resideat, quia est absens & existens in alieno Episcopatu, quia tunc omisso residentia fit in proprio Episcopatu, aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit. Quia ratione delicti sortitur quis forum, ut dicitur in *cap. ult. de foro competenti*. Vnde in dictis casibus existens in alieno Episcopatu incurreret censuram annexam statuto, aut præcepto sive generali, sive speciali notificato, (sive ante egressum à suo Episcopatu, sive post ex consensu Episcopi loci, in quo est, qui requisitus consentire debet, quia aliter Episcopus habet jus ratione delicti) quia ex una parte statuto, aut præcepto notificato censura, quæ ei annexatur, executioni mandatur absque actu aliquo judiciali faciendo in alieno territorio, quia in eo invalide fieret absque consensu Episcopi illius territorij, quamvis injuste negato, & ex altera parte, ratione delicti commissi in proprio Episcopatu manet in alieno territorio subditus suo Episcopo. Et hæc omnia docet Cornejo in *part. 3. tr. 5. de cens. in gen. disp. 6. dub. 2.* & Hurtado de *conf. in com. diff. 8.* & de his etiam infra redibit sermo.

RESOL. CII.

An subditus Episcopi in alieno territorio ligetur censuris annexis præcepto sive generali, sive speciali sui Episcopi?

Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio Episcopatu?

Et an si delictum sit inchoatum in proprio territorio, & consummatum in alieno, subditus incurrat censuram statuti generalis, sive Episcopi?

Et si aliquis committat aliquod delictum in loco exempto intra proprium territorium Episcopi, an Episcopus possit eum censuram ligare? Ex *part. 5. tract. 9. Resol. 37.*

Affirmativam sententiam docet Suar. de *conf. disp. 5. sect. 5.* Sayrus de *conf. lib. 8. cap. 7.* & alij, quia superior potest suum subditum etiam extra territorium dirigere, atque ad id superior per præcepta intendit eum dirigere abicumque sit, cum præceptum respiciat personas. Vnde hanc sententiam tenet etiam Petrus Cornejo in *3. part. D. Th. tr. 5. de censuris in genere, disp. 6. dub. 2. §. Dico septimo*, ubi sic ait: Si censura lata sit per modum sententiæ sive particularis sive generalis, ligat proprios subditos, etiam extra proprium territorium peccantes, quia censura lata per modum sententiæ pro futuris culpis abstrahit à territorio, & solum respicit ipsas subditorum personas. Ergo ubicumque existant, eos ligat. Nec obstat diversitas territorij, cum hæc censura ut incurratur, nulla exterior vis necessaria sit: unde si non propter bonum territorij directè, sed propter bonum ipsius subditi, vel aliarum personarum Episcopus præcipiat sub censura alicui particulari subdito, aut omnibus generaliter, ut jejunent, v. g. sexta feria, aut ab exercitio alicujus operis se absteineant, reverà censuram incurrunt, quamvis extra territorium delinquant, & in hoc differunt censura lata à jure, & ab homine. Ita Cornejo.

2. Verum opinio negativa probabilis etiam mihi videtur, quam docet Ioan. Præpositus in *3. part. quest. 1. de cens. in gen. dub. 5. num. 3. 1.* & Hurtado de *conf. in gen. diff. 8. n. 34.* ubi citat Henriquez & Coninch, quia peccatum inferioris physice, & moraliter in tali casu consummatur in alieno territorio, ubi non pareretur

impunè jus dicenti, juxta *cap. ut animarum de conf. in 6.* id est, delinquens ex eo poenam non patitur. Hinc inferitur me olim probabiliter respondisse, quod si Episcopus prohibeat Sacerdotibus sub poena suspensionis, ne in aliena Diocesi celebrent, illam non incurrere celebrando.

3. Non est tamen negandum cum Hurtado *ubi supra*, & aliis subditum existentem in alieno territorio posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, ut si habens curam animarum non resideat, quia est absens, & existens in alieno Episcopatu, quia in tali casu omisso residentia fit in proprio Episcopatu, aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit. Vnde ego olim dixi cum Avila de *conf. part. 2. cap. 5. disp. 2. concl. 3.* quod si Episcopus præcipiat sub excommunicatione, ut omnes Clerici subditi veniant ad Synodum, Clerici subditi, licet existant in alieno territorio, ligantur, quod etiam docet Præpositus *loco cit. num. 26.* & Villabos in *summ. tom. 1. tr. 16. diff. 16. num. 9.*

4. Sed obiter attingam hæc pulchrum dubium, an si delictum inchoatum sit in proprio territorio, & consummatum in alieno, subditus incurrat censuram statuti generalis sui Episcopi? Negativè respondet Petr. Cornejo *ubi supra, in 3. p. tr. 5. de cens. in genere, disp. 6. dub. 2.* ubi citat Suarez. Vnde asserit, quod si stuprum, v. g. sit prohibitum in hac Diocesi sub excommunicatione, & quis caperet Virginem, & eam extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non incurreret censuram, quamvis per tactus, oscula, & raptum intra territorium inchoaret stuprum. Et ratio est, quia hæc censuram lata est absolute contra stupratores, & non contra quomodocumque stuprum inchoantes: ergo quousque stuprum consummatum sit, incurrere non debet, sed in hoc casu consummans stuprum est extra territorium, ubi non ligatur per statutum. Ergo. Quod confirmatur, quia si feratur

censura contra homicidas in Ecclesia, ille, qui intra Ecclesiam existens sagittam projiceret, qua hominem extra Ecclesiam existentem occideret, reverà non incurreret censuram illam, etiam si homicidium fuerit intra Ecclesiam inchoatum. Hæc Cornejo. Nec adversus hanc doctrinam facit Villalob. in *summ. t. 1. tr. 16. diff. 16. n. 4.* ubi sic ait: [Si el peccado comenzó dentro del territorio, y se acabó fuera del, quedaria ligado con la censura, como si herido algun en el territorio, y murio, quando estava fuera del, o si le mandaron que no facasse la mercaderia del territorio.] Ita ille, & ante illum Sayrus de *conf. lib. 1. cap. 6. n. 41.* & alij. Non, inquam, adversantur sententiæ negativæ ista exempla, nam concedit Cornejus probabilis esse homicidam illum incurrere censuram in supradicto casu, quia quamvis homicidium consummatum sit extra territorium, quantum ad ultimum ejus effectum, qui est mors: tamen tota actio exterior à qua provenit, scilicet vulnus lethale, causata fuit intra territorium ratione cujus dici potest, homicidium fuisse intra territorium consummatum, quantum ad totam actionem, ex qua mors sequuta fuit, cui faver, quod iste homicida non possit conveniri pro homicidio in alio territorio, ubi mors fuit sequuta, cum in eo nullum delictum commiserit, ex quo sequitur quod accusari debeat in proprio territorio, non solum ratione vulnus illati, sed etiam homicidij. Ad alium casum respondet etiam idem Cornejo delictum illud deferendi triticum extra propriam Diocesim, quoad actionem, qua deferretur, consummari intra propriam Diocesim, quamvis quantum ad terminum extrinsecum assumatur in aliena.

5. Et tandem nota pro coronide hujus resolutionis, quod si aliquis aliquod crimen committat in

Sup. hoc sup. in Ref. 99. §. Dico, in lin. 6. & in alio §. ejus annot. Et pro contento in hoc §. non est, in Ref. præterita §. Nota tertio, & lege etiam §. Nota secundo, & §. ejus not.

Sup. hoc in Ref. seq. & sup. in Ref. 100. §. ult.

Sup. hoc in Ref. seq. §. Nec.

Sup. hoc in Ref. præterita.